



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine  
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et  
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac  
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac  
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres  
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim  
Consideratum

**Gibert, Jean-Pierre**

**Coloniæ Allobrogum, 1735**

Ad quem pertineat Jus auferendi Beneficia?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)



puniuntur, eodem loco enumerata. Quoad defectus, Matrimonium allegare potuisset, quod, sicut impedit validitatem Provisionum, cum præcedit, vacationem operatur, cum subsequitur; agiturque de Clericis in Minoribus, aut simplicem Tonfuram habentibus. Idem est de Professione Religiosa. Fundamentum est in Regula: *Eadem est ratio contrariorum*; undè natum est. 1. *Cap. de Reg. Jur. Per quasumque causas res nascitur, per easdem dissolvitur.*

Quoad alios defectus, qui acquisitionem Beneficiorum sequi possunt, Unicus est, nempe, defectus mansuetudinis, qui amissionis Beneficiorum causa esse possit: contrahitur per armorum professionem, per exercitium Justitiæ Criminalis, aut artis Chirurgiæ, quæ ferro utitur & mutilat. Cum hoc genus defectus sit voluntarium, & vitæ Clericali contrarium, Beneficiorum amissionem operari potest: reliqui, nempe Dementia, Surditas, Cæcitas, manuum tremor, Paralysis, Lepra, hunc effectum non operantur. Amissio Beneficiorum est gravis pœna, quæ proinde locum habere non debet, nisi cum delictum grave est. Juxtà hoc sentiendum est de Regulis, quæ pertinent ad Beneficiorum Amissionem, per delicta, non verò per meros defectus productam. Inter illa delicta, quædam tantæ sunt gravitatis, ut, per seipsa, pœnam mereantur; alia, quæ non merentur illam, nisi accedente Contumaciâ, quæ certum signum est pertinaciæ in delicto. Undè fit, ut sint Casus Privationis, *ipso facto*, & Casus Privationis, per Sententiam.

Ex his principiis sequitur, 1. REG. LXXII. ad rem non facere, quæ dicit, eum, qui Beneficium legitimâ viâ non acquisivit, illud amittere; cum amissio propriè non cadat, nisi in res validè acquisitas.

2. REG. LXXIII. esse falsam, quoad defectus, qui non operantur Amissionem Beneficiorum benè acquirentium, quamvis, si præcessissent, validæ acquisitioni obstaculo fuissent.

3. REG. LXXIV. esse falsam, quoad Casus, in quibus Collatores, Præsentantes, Eligentes, erant in quasi possessione conferendi, præsentandi, eligendi: nam actus ab illis profectus validus est, quamvis deinde proprietatem illius Juris amittant. Quoad casus, in quibus ejusmodi personæ non habuissent quasi Possessionem, Regula est aliena; quoniam Provisio fuisset nulla.

4. Falsa est REG. LXXV. quatenus dicit, amitti Beneficium ob furorem perpetuum: si enim præcesserit, invalida fuit acquisitio; si successerit, injusta foret amissio.

5. REG. LXXVI. est iteratio doctrinæ præcedentis adversus pluralitatem Beneficiorum. Idem est de REG. LXXVIII. circa eandem pluralitatem.

6. Falsum est, Beneficium cessare cum causâ, ob quam datum est; falsa proinde REG. LXVIII. quæ id asserit. Textus laudatus agit de Privilegiis, quæ cum suâ causâ cessare debent.

7. Cessatio à Divinis, etiam absque causâ legitimâ, Beneficii vacationem non operatur; imò laudatum *Cap. 8. de Offic. Ordin. in 6.* non jubet, ut privatio per Sententiam feratur REG. LXXIX.

8. Non residentia, de quâ loquitur REG. LXXX. unum est è delictis, quæ non merentur Privationem Beneficiorum, nisi accedente Contumaciâ, per Monitionum contemptum manifestatâ.

Præterque reliquarum Regularum hujus Quæstionis ex iis sunt, quæ Argumento sunt alienæ, idè quòd, vel loquantur de Depositione ab Ordine, & sic longius progrediuntur, vel de Suspensione Temporalis à perceptione reddituum, quæ pœna valdè discrepat à Privatione Beneficiorum.

REG. CII. quæ loquitur de Cessione, aut Resignatione, plures habet Exceptiones, & aliquot Replicationes, quæ inutiles evadunt, si Regula restringatur ad Resignationem ritè factam, & admissam ante re-

vocationem. REG. CIII. loquitur de Casu Resignationis tacitæ.

Quod legitur in his Regulis, extenditur ad Permutationem, quæ est Resignatio mutua, & ad Translationem ab unâ Ecclesiâ ad aliam, cujus acceptatio demissionem prioris includit.

Præfatæ Regula XXXIII. reducuntur ad duas generales. Una est, amitti Beneficia, vel *ipso facto*, patrandò crimina, quibus hæc pœna cohæret, vel Sententiâ latâ post Confessionem, aut Convictionem Rei: alia est, amitti Beneficia per Resignationem expressam, aut tacitam, sub hac includendo Professionem Religiosam, Matrimonium nec non Collationem Beneficii, cui Possessor consensum præbuit.

#### *Ad Quem pertineat Jus auferendi BENEFICIA?*

Autor observare debuisset, ex Regulis præcedentium Quæstionum sequi, Jus auferendi Beneficia pertinere ad Legislatores, qui privationem Beneficiorum, vel *ipso facto*, vel per Sententiam faciunt, & ad Judices, qui Leges exequuntur: nam vidimus Ecclesiasticas Leges hoc duplex genus privationis tulisse; & Judices eas executioni per Sententiam suam mittere, per quam, aut Beneficiis exuunt, aut exutos declarant Reos, pro variâ Legum dispositione. Præterea, observare debuisset, amissio Jure ferendarum Legum, aut judicandi, vel exercitio horum Jurium, unâ amitti Jus auferendi Beneficia.

Ex his observationibus cernitur. 1. Quòd, ut REG. CV. vera sit, supponendum est, Principes condere non posse Leges privantes, neque Magistratus eandem penam imponere posse Leges exequendo. 2. Fatendum esse, Episcopo, sive tamquam Legislatori, sive tamquam Judici, competere Jus auferendi Beneficia. 3. Hæreticos & Excommunicatos non habere Jus illud, nisi ab Ecclesiâ tolerati sint: undè nascitur veritas REG. CVI. & CVII.

#### *Quid, & Quantum amittatur?*

Quod legitur in *Tribus Regulis* hujus Quæstionis, respicit Amissionem ex Beneficiorum pluralitate ortam; & reducitur ad unicum Principium; nempe, is, qui novum Beneficium acquirit, anteriora amittit, scilicet unum, aut duo, aut tria, pro numero, quem possidebat.

#### *Antecedentia Amissionem seu Privationem Beneficiorum, ejusque Consecraria.*

Has duas Quæstiones connectimus, quarum solutio docet, Episcopum juxtà *Can. 2. DIST. LXVII. & Cap. 5. de his quæ sunt à Prælat. sine &c.* non posse deponere Sacerdotem sine consensu Capituli; & juxtà *Can. 7. DIST. LXXXI.* Episcopum deposito Presbytero assignare debere locum ad peragendam penitentiam. Utraque res parùm argumento affinis est; quod est amissio Beneficiorum.

Præterea *Can. 2.* laudatus, non loquitur de Capitulo, sed de Episcopis, qui cum Episcopo concurrere debent ad depositionem Presbyteri. Et hæc sunt observanda circa *Secundam Partem* hujus *Cap. VII.* quæ non minoribus ac paucioribus vitiis turget, quam Prima, licet multò brevior sit.

#### *PARS TERTIA de reliquo Jure Præbendarum.*

REGULÆ indicant solum sedem materiæ propositæ, nempe Textus loquentes de Incremento, aut Diminutione, Alienatione, Permutatione, Reservatione fructuum, Acceptatione Possessionis Præbendarum, exceptâ REG. CXV. quæ, loquens de Sectione, adjicit Textibus eam prohibentibus, plures Exceptiones: 1. Casuum, in